

juxta legem Exod. XII. quia Christus moriens loti illuxit orbi.

Item in die primo azymorum, ut jam non epulemur in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis, ut ait apostolus, I. Cor. V. q. d. quia pascha nostrum immolatus est Christus; ex hoc incipiamus agere festum azymorum spirituale per septem dies, id est, per decursum totius vitae nostrae, ut jam simus azymi et puri, nec nisi pura amplectamur, etc.

§ XXVIII. — DE TITULO CRUCIS.

I. Pilatus scribit titulum. — II. Tribus linguis. — III. His verbis: *Jesus Nazarenus rex Judaeorum*. — IV. Eum multi legerunt. — V. Reclamant contra eum Judaei. — VI. Non vult eum mutare Pilatus.

THEMA.

Jesus Nazarenus rex Judaeorum. Joan. XIX.

Mirum quid videmus in arbore s. crucis. Cum enim alioqui titulus eum re debeat convenire, uti imago cum epigraphe, videmus hunc in cruce ab illa diversissimum. Interrogemus enim, *cujus est haec imago et superscriptio?* Est salvatoris, liberatoris, medici, ut indicat vox *Jesus*. Imago est hominis miserrimi, et qui ipsemet liberatore indigeat, vulneribus et plagis confecti. Titulus est *floridi*, ut indicat vox, *Nazarenus*; imago vero est hominis leprosi, deformati, despecti. Titulus est regis, (*rex Judaeorum*); imago est mancipii malefici, principis latronum. Quid sibi vult haec dissonantia? Nimirum utramque in Christo naturam denotat. Imago crucifixi humanitatem ejus ostendit, titulus divinitatem. In cujus rei figuram pontifex olim tunicam gerebat lineam strictissimam, carentem omnibus plicis seu rugis, (ut scribit Josephus) fiam vero splendidam et lamina aurea insignem, Exod. XVIII. Tiara Christi splendidus ejus titulus est, divinitatem ejus monstrans: tunica vero linea et vilis ac corpori adstrictissima, species ejus deformata, humanitatem indicans.

I. Pilatus scripsit titulum et posuit super crucem. Primo, ex more Romanorum, ut sciretur nomen crucifixi et causa supplicii, ac ne existimaretur supplicium illud inferri ex tyrannide aut iudicis malevolentia, sed ex juris aequitate.

Secundo, ex dispensatione divina, ut confirmaretur fides, non alium praeter Christum pro nobis crucifixum esse. Fuit enim qui asserere audeat, non Christum, sed Simonem Cyrenensem pro Christo esse crucifixum, Basilides videlicet

haesiarcha, necnon Mahomet, qui alium quempiam pro Christo crucifixum scripsit in suo alcorano. Qui temeritatis et mendacii convincuntur ex ipso titulo.

Tertio, mystice, ut indicaret trophaeum Christi, crucem esse. Trophaeis enim et triumphis additi olim tituli. *Julius etiam Caesar Pontico triumpho*, inquit Suetonius, in Jul. c. XXXVII. *inter pompa fercula trium verborum praetulit titulum: Veni, vidi, vici*. Atqui crux ferculum seu currus est Salomonis nostri, factum de lignis Libani, cujus ascensus purpureus, Cant. III. in quo triplici lingua clamat: *Veni, vidi, feci*.

II. Tribus linguis, Hebraica, Graeca, Latina. Primo, quia haec sunt praecipuae linguae et quasi fontes aliarum linguarum; ut ita causa crucifixionis Christi ab omnibus, qui aderant, legi posset et intelligi.

Secundo, ex dispensatione divina, ut indicaretur Jesum futurum omnium linguarum principem et omnium linguis colendum ac confitendum, juxta id apostoli ad Philippenses, II. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Omnium intererat scire crucifixum; unde omnium linguarum fontibus id contestandum fuit.

Tertio, ut haec tres linguae morte Christi consecrarentur ad sacra et divina officia peragenda, quarum Latina uti Christo vicinissima et intima fuit, ita communissima erat futura.

III. His verbis: *Jesus Nazarenus rex Judaeorum*. Primo, ex mente Pilati, ut causam mortis explicaret, quae ferebatur regni Judaici affectatio. Vel secundum Chrysostomum, ut Christum excusaret, et Judaeos accusaret ac confunderet, ut qui regem suum crucifixerint. In vitis enim Christum condemnavit. Unde admodum probabile est ad ultionem de Judaeis sumendam, eum sic scripsisse.

Secundo, ex mente et dispensatione divina, ut hinc Christi innocentia patefieret: (nihil enim criminis continet hic titulus) imo ut vera causa mortis Christi judicaretur, quia scilicet erat Jesus et Salvator mundi, pro aliorum sceleribus satisfactorius; et quia Nazarenus, id est, flos seu floridus virtutum, quas impuri et foetidi Judaei ferre et olfacere non poterant, odore fragrantissimus, et quia rex erat, ad praedium ante nos exiturus et pro nobis hosti sese objecturus.

Tertio, quia Christus in cruce maxime, et vere fuit Jesus Nazarenus, rex Judaeorum. Jesus, quia in cruce nos salvavit; Nazarenus, quia virtutum varietate et odore ibi maxime redoluit. Ibi enim flos fuit inter spinas; et sicut flos, cum manu premitur et attrectatur, magis redolet: ita Chris-

tus in cruce pressus saluberrimum mundo odorem exhalavit, cum septem verba protulit, virtutum odores sparsit, et maxime cum animam ipsam exhalavit. Rex denique Judaeorum, id est confitentium fuit, quia omnia ad se traxit, caelum et terram movit, corda Judaeorum ad sui confessionem inflexit, etc. Itaque docet Christus id esse, et facto praestare quod praese fert, cujusque titulus, quemadmodum et ipse titulum Salvatoris et regis nequaquam frustra gessit. Plerique ambiunt titulos, et volunt vocari Rabbi, Domini gratiosi, Clementissimi, Reverendissimi, etc. sed tales an sint non curant. Nos omnes titulum christianitatis gerimus, et saepe christiane parum vivimus. *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*, scribit Joannes ad episcopum Sardicensem, Apoc. III. Unde Salvianus, lib. IV. de provid. ait: *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra et fatua*, Proverb. XI. *Et in nobis itaque christianum vocabulum quasi aureum decus est: quo si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur*. Sic ille. Et S. Hieronymus ad Paulinum ait: *Esse Christianum grande est, non videri*. Quare titulus hic tabella est appensa officinae herbariae vel litterariae invitans praetereuntes ad comparanda sibi pharmaca et omnis generis disciplinas. Emere vis gratiam et salutem vulneribus peccatorum? Ecce tibi Jesum. Flores virtutum? Ecce tibi Nazarenum, floridum virtutibus, et florem de radice Jesse. Securitatem et pacem? Ecce tibi regem. Rursum discere vis rationem quaerendi salutem tuam? Ecce tibi Jesum qui per crucem suam ostendit tibi viam. Virtutes? Ecce tibi Nazarenum. Rationem regendi temetipsum, vincendi mundum et diabolium? Ecce tibi regem. Hunc ergo titulum suo quisque inscribat cordi, siquidem is nobis pandit aditum ad salutem et virtutem, ad securitatem contra insidias spirituales et saepe contra pericula etiam corporalia. Sane Christus S. Edmundo adhuc adolescenti, adolescentis specie apprensus, et hunc ipsum titulum (*Jesus Nazarenus rex Judaeorum*) in fronte descriptum gerens, ostendit monens, ut hoc nomen cordi suo imprimeret et amaret, necnon singulis noctibus in fronte sua pingeret; fore enim ipsi et omnibus similiter facientibus magnum adversus mortem subitanam praesidium. S. Hieronymus, in vita 16. novemb. c. III. Hoc idem cum fecisset singulis noctibus quidam religiosus, post mortem inventus est in fronte gerens titulum illum, aureis inscriptum litteris, Mallon. in expl. sind. c. VI.

IV. *Hunc titulum multi Judaeorum legerunt, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus*. Magna legentium diversitas fuit. Alii legerunt, sed non intellexerunt. Alii legerunt et calumniati

sunt. Alii legerunt et probarunt. Primi denotant eos qui legunt S. Scripturam, sed non intelligunt, nec curant intelligere. Secundi, qui eandem vel depravant vel depravato sensu intelligunt. Tertii, sunt lectores boni.

V. *Dicebant ergo Pilato pontifices Judaeorum: Noli scribere rex Judaeorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Judaeorum*. Petierunt hoc primo, quod Jesus licet crucifixo hunc titulum inviderent velut honorificentiorum aut saltem ambiguum; metuentes ne quis eum prout verba jacebant, intelligeret, et inde moveretur ad credendum in eum. Ita nimirum filii tenebrarum sapientes sunt, ut faciant malum et bonae Christi famae omnes pracludant januas, quod praedixit in persona Christi, David in Ps. XXI. qui totus est de passione ejus. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*, id est, pontifices et Pharisei: *aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens*, videlicet metuentes ne sibi eripiat aliquid de praeda; unde sequitur: *Sicut aqua effusus sum*, hoc est clamaverunt et rugierunt, ut effunderer sicut aqua ne ullus bonae famae odor in me remaneret.

Secundo, quod sentirent eo titulo se perstringi ex odio et astu Pilati, sibi et genti suae iniuri eam notam quod ipsorum rex in crucem ageretur; prout videtur fuisse mens Pilati.

VI. *Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi*. Noluit mutare titulum primo, quia ut scribit Apuleius, I. Florid. « Proconsulis tabella sententia, est, quae semel lecta neque augeri littera una, neque minui potest, sed utcumque recitata, ita provinciae instrumento refertur. » Videtur ergo titulus ille insertus fuisse publico instrumento: adeoque mutari non poterat. Similiter Ulpian. (apud Gretser. de cruce, l. I. XXVIII.) « Hoc jure, inquit, utimur: ut judex, qui semel vel pluris vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit, semel enim male vel bene officio functus est. » Quam felices nos dum in statu merendi sumus; possumus enim delere sententiam, quam dictavimus contra nos, ex libro mortis! Verum ubi ad terminum venerimus semel male vel semel bene officio nostro functi sumus, nec retractabitur in aeternum.

Secundo: *Ex divino instinctu*, ait S. Augustinus tract. CXVII. nam occulta vox quaedam Pilato intus quodam, si dici potest, clamore silentio personabat, quod tanto ante in psalms litteris prophetatum est: *Ne corrumpas titulum inscriptionem*. Voluit enim Deus per crucem glorificare et exaltare Filium suum, quem Judaei volebant deprimere. Sed quia non est potentia nec consilium contra Deum, ideo stare debuit titulus ringenti-

bus Judæis. Dicebant illi apud Jeremiam, c. XI. *Eradamus eum de terra viventium et nomen ejus non memorentur amplius. Sed eradere non poterunt, quod Dei jussa scriptum est. Unde in hujus rei ostensionem titulus ille ferreo instrumento in ligneam tabulam incusus est, uti cernitur adhuc Romæ. Quemadmodum ergo Joseph juxta somnia, quæ vidit, rex fratrum suorum fieri debuit, licet illi hoc omni modo impedire studerent, vendendo eum exteris. Dicebant etiam: Ecce somniator venit (Hebr. dominus somniorum) venite, occidamus eum, etc. tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua, Gen. XXXVII. Sed nihil effecerunt; dominus illorum factus est. Ita contigit Christo.*

Tertio, ad informationem nostram, ne facile mutemus proposita bona, vota præsertim emissa, et quæ ad justitiam et religionem promovendam decreta et promulgata sunt. Ob inconstantiam in ferendis et conservandis legibus sæpe traducuntur magistratus. Turpius agunt apostatæ, qui fidem vel religionem deserunt cui nomina sua dederunt. Nos ab his cavebimus, et quæ semel in corde nostro scripsimus ac decrevimus ad Dei gloriam, nunquam oblitterabimus sed cum Pilato respondebimus dæmoni, carni, mundo: *Quod scripsi, scripsi.* Similiter quæ in confessione confessario, in baptismo Ecclesiæ, in religione superiori, imo Deo promissimus, servare meminimus, dicendo: *Quod dixi, dixi: quod scripsi, scripsi.*

§ XXIX. — DE VESTIUM DIVISIONE.

I. Milites accipiunt vestimenta ejus. — II. Faciunt quatuor partes. — III. Erat tunica inconsutilis, talem ipse gestavit. — IV. Nolunt eam scindere. — V. Sortiuntur pro ea. — VI. Milites hæc faciunt.

THEMA.

Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem. Joan. XIX.

Quanta vestium Christi virtus esset, novit pia illa mulier, quæ duodecim annis sanguinis fluxum passa, cum sequeretur Christum pergentem ad resuscitandam filiam Jairi præ turba apprehendere non poterat. Dicebat enim intra se: *Si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.* Tetigit et salvata est, cum interim turbæ Christum comprimerent, nemo tamen ex illis virtutem illius vestis senserit. Quemadmodum nec milites illi, qui vestes Christi crucifixi omnes sibi vindicaverunt. Nimirum aliud est Christum tangere vera fide, et aliud comprimere, seu tangere sine fide. Priore modo mulier tetigit, quæ in Christum

credidit, et sedulo perpendit, quis et qualis ipse esset. Posteriore milites et cæteri Judæi. Hujus ergo mulieris vestigiis insistentes sequemur et nos Christum, et quidem in itinere passionis, ubi jam moriturus, mortuum genus humanum suscitaturus est. Et quia jam ipsummet tangere non possumus, utpote in alto suspensum, curabimus ut vel vestimenta ejus tangamus, ita ut sentiamus in nobis et ipsius et mysteriorum ejus fructum et virtutem.

I. Milites cum crucifixissent eum, *acceperunt vestimenta ejus.* Passus est hanc injuriam Christus, qua vestibus spoliaretur et nudus crucifigeretur. Ut vestem innocentiam, quam perdidideramus in Adamo, nobis recuperaret, adeoque nuditatis nostræ ignominiam tegeret. Commutavit nobiscum vestes Christus, accepit in se nuditatem nostram et dedit nobis vestes suas, ut pro nobis e carcere dimissis, ipse remaneret.

Secundo, ut amorem suum erga nos testaretur. Sic I. Reg. XVIII. cum iniisset Jonathas fedus cum Davide, quem ut animam suam diligebat, expoliavit se tunica, qua erat indutus, deditque eam Davidi et reliqua vestimenta sua. Nam quia non satis firma ac fida societas videbatur inter Jonatham regis filium et inter Davidem, servum, militem, pastorem, detraxit sibi Jonathas vestimenta sua et induit ea Davidi, ita ut videretur David alter esse Jonathas. In signum ergo fœderis et amoris erga nos expoliavit se Christus vestibus suis, ut iis nos induti ei assimilemur, nec de ejus erga nos amore dubitemus, licet ipse Dominus, nos servi, ipse creator, nos creaturæ ejus simus.

Tertio, ut doceret nos rationem luctandi cum dæmone, exuendi nimirum vestes, id est, affectus omnes erga creaturas. Nam si vestitus aliquis cum nudo luctari debeat, facile superabitur, quia habet unde teneatur. Dæmones autem quibuscum luctari debemus nudi sunt, quia nihil in terra possident: maxime vero instante morte omnes hujusmodi affectus deponendi sunt, ut nudi cum nudo moriamur Christo.

II. *Fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem et tunicam.* Factum hoc est a militibus. Primo, quia damnatorum vestes quasi jure hæreditario sibi vindicabant. Diviserunt autem eas vivente et inspectante Christo, quo dolores ejus auferent.

Secundo, ob mysterium, quia vestium divisio in quatuor partes significat Ecclesiæ Christi diffusionem ad quatuor mundi plagas: tunica vero inconsutilis non divisa significat ejusdem unitatem et concordiam. Causam dat S. Gregorius, in VI. Psalm. pœnit. *Quia sicut nihil est corpori veste*

vicinius: ita nihil est Christo sua Ecclesia conjunctius.

III. Quia denotabat merita Christi, virtutes item et sacramenta dividenda per quatuor orbis partes, quæ illis vestiendæ erant, sicuti vestibus Christi milites vestiti sunt. Atque hæc est illa vestis odorifera primogeniti nostri fratris (Christi) in qua sola Deo placere et benedictionem obtinere possumus, uti Jacob non nisi in veste fratris Esau primogeniti benedictionem patris obtinuit, Gen. XXVII.

Tertio, *erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* Voluit Christus gestare talem tunicam primo, ob amorem Patris sui cœlestis. Significat enim hæc vestis utraque Christi naturam, divinam et humanam: divinam quia ea ab æterno, mirabili et inscrutabili officio communicata et induta est Filio a Patre; et quia ea in passione indivisa et illæsa, imo indivisibilis et illædibilis fuit. Humanam, quia etiam ista mirabili Spiritus sancti artificio, desuper contexta fuit per totum in utero Virginis e puris et solis filis purissimi sanguinis virginæ, nulla humana adhibita manu vel sutura alterius adminiculi. Hanc tunicam solus induit Filius, adjuvante tamen se Patre et Spiritu sancto, et quasi ex utraque parte manicas tenente, ut docet S. Bonav. in meditat. vitæ Christi: ita ut opus incarnationis operata sit tota Trinitas, solus tamen Filius incarnatus sit et tunicam hanc induerit.

Secundo, ob amorem sanctissimæ Matris suæ. Nam ut scribit Euthymius, in cap. VI. Matth. ex traditione patrum fertur ea tunica opus fuisse Dei matris. Adduntque alii beatissimam Virginem Christo parvulo existente illam texuisse, et eo crescente tunicam quoque crevisse. Nec id improbabile videtur, siquidem et vestes Hebræorum peregrinantium in deserto per annos quadraginta non sunt attritæ, imo et videntur cum crescentibus crevisse, (unde enim illis vestes aliæ in deserto?) ut notat Corn. a Lap. in Deut. VIII.

Tertio, ob amorem sponsæ suæ Ecclesiæ. Nam et hanc, ut diximus, designabat vestis illa, quia uti vestis ornat hominem, ita Ecclesia Christum. Vestis hæc contexta e filis, id est, Christianis innumerabilibus per charitatem et fidei unitatem sibi mutuo innexis, ita ut dissolvi nisi grandi peccato, deleri vero prorsus nequeant. Ac sicut vestis illa interula et Christi corpori conjunctissima semper adhæsit; ita et Ecclesia per amorem semper ei intima fuit. Hæreses (uti Lutherana, et Calviniana in imperio) assuturæ tantum sunt, quæ ad illam tunicam non pertinent, ideo researi possunt et debent.

IV. *Diserunt ergo ad invicem: Non scindamus eam.* Primo, ad litteram, quia discissa fuisset inutilis et prorsus resoluta.

Secundo, ob mysterium, quia, ut vidimus, significat Christi Ecclesiam, quam non vult scindi Dominus: siquidem ut Luc. XI. cap. dixit: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Ecclesiam autem suam voluit inexpugnabilem. Unde gravissimo scelere se obstringit qui vel se vel alios ab Ecclesia Christi subtrahit, quemadmodum ipse Christus S. Petro episcopo Alexandrino veste lacera apparens, conquestus est de Ario diacono Alexandrino hæreseos auctore dicens: *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit.*

Tertio, ad documentum nostrum, ne videlicet nos fideles scindamus mutuam charitatem, per quam in Christo conjuncti sumus, quæque Christi ornat instar vestimenti; uti ipse insinuavit, Joan. XXXI. in sermone ultimæ cœnæ: *In hoc agnoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

V. *Sed sortiamur de illa cujus sit.* Fecerunt hoc milites primo, pro more et libidine sua, ut qui omnem controversiam solent dirimere sortibus, aleis vel duellis, simulque omnia sua committere fortunæ, ut aut summi fiant aut infimi, totum lucrentur aut perdant.

Secundo, ob mysterium, divina dispensatione, ut Scriptura impleretur, Psalm. XXI. dicens: *Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem,* inquit Joannes. Non quod ideo sortes jactæ sint, quia prædictum fuit (potius enim prædictum fuit, quia futurum erat) sed ut inde constaret Christum esse Messiam, de quo tam luculenter omnia prædixerint prophetæ, ut ne vestium quidem divisionem et sortitionem tacerint.

Tertio, in prælium et prognosticum injuriarum, quibus Christi Ecclesia afficienda erat a persecutoribus tyrannis, qui Ecclesiam illam direpturi erant, et pro Christianorum vita et bonis quodammodo lusuri: hæreticis, qui divisiones et schismata in ea excitaturi et fidem aliee subjecturi, dum alios conabuntur fraudulentis dogmatibus, quasi aleatores circumvenire, et quasi jactum aliee doctrinam suam mutare, ut his aut illis placeant, vel libidini suæ indulgeant, et quidem tanta arte, ut eorum fraudes non facile deprehendantur: id quod notavit apostolus ad Ephes. IV. cum ait: *Jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum* (Græce, in aleatione hominum.) Fidelibus denique, qui vestes Christi, id est, bona ecclesiastica erant usurpaturi et pro iis sortes quasi missuri simoniaca pravitate.

VI. *Et milites quidem hæc fecerunt.* Addit hoc

Joannes, primo, ad indicandam militum licentiam seu libidinem, qua nihil non audent præter jus fasque, quando in oculis Christi ludere pro ejus vestibus nihil dubitarunt. Taxat itaque Joannes et subtiliter dissuadet vitam militarem, d omnia vitia pronam et Dei contemptricem. Ob am causam SS. Ambrosius et Augustinus ulli unquam voluerunt militiam suadere.

Secundo, ad cautelam nostram, ne et nos cum illis sanctam Christi vestem sortibus seu ludo committamus. Hoc autem faciunt primo, qui tam libere peccant pro levi commodo vel lucro, quasi animam et salutem suam aleæ subjiciant. Secundo, qui beneficia a Deo accepta, non Deo, sed sorti adscribunt ac fortunæ.

Tertio, ad instructionem nostram, ut caveamus mundum, qui instar illorum militum expoliat morientes et nudos ablegat in sepulcrum, postmodum bona eorum dividit inter hæredes et sortibus committit, demum iis bonis alios similiter spoliat, sicque inescat et captat homines, quomodo pueri pelle ranæ unius capiunt ranas alias.

§ XXX. — CRUCIFIGUNTUR JUXTA EUM
LATRONES.

I. Crucifigunt eum Domino duo latrones. — II. Jesum in medio eorum. — III. Christo medius locus debetur.

THEMA.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris et unus a sinistris. Matth. XXVII.

Propheta Habacuc, cap. III. prævidens in spiritu et considerans opera incarnationis et nativitatis Christi, admiratione et timore correptus obstupuit seu expavit. Sic enim loquitur, capite III. (juxta Septuaginta) *Domine consideravi opera tua et obstupui: (vel expavi) Domine, opus tuum: in medio duorum animalium cognosceris.* (Sic enim vertunt Septuaginta.) Obstupuit et expavit propheta, quando in spiritu videt Deum factum hominem et jacentem in præsepio inter duo animalia: quomodo quæso expavisset, si eundem aspexisset pendentem in patibulo in medio duorum latronum? Huc igitur, auditores, convertamus oculos, et nisi fallor, attoniti expavescemus. Quid enim sibi vult Deus inter latrones? Eamus et videamus visionem hanc magnam.

I. Crucifixerunt cum eo duos latrones. Primo, ex consilio Pilati et instigatione, vel suggestionem, aut saltem approbatione Judæorum, ut is quidem famæ consuleret, ne videretur innocen-

tem occidere et reis parcere: hi vero ut latronum societate majorem Christo infamiam aspergeret juxta Scripturam *Jam, quam etiam ipse Christus de se interpretatus est: Cum iniquis reputatus est.* Quis in posterum ægre ferat, si collocetur abjecto loco inter pauperes et abjectos, ut quoque modo vilipendatur, si hoc pertulit ipse Christus et juxta doctrinam suam ultimo et abjectissimo loco recubuit?

Secundo, ex consilio Dei Patris, qui unde Judæi Christum deprimere et infamare satagebant, inde exaltavit et glorificavit Filium suum. Cum enim ante id tempus nullus unquam crucifixus celebraretur, aut latro celeberrimus, tamen in orbe universo factus est Christus, qui velut latro crucifixus fuit; imo et crux propter ipsum, tantum consecuta est honorem, ut regum d'ademata inde sibi decus sumerent; necnon latrones socii, qui hoc nomine felices censentur, quod cum Christo crucifixi pependerit, tantoque felicio ille dexter, quanto per fidem etiam Christo fuit conjunctior. *Socrates*, ait Seneca, in consol. ad Helviam, *carcerem intravit, ignominiam ipsi loco detracturus. Neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat, etc.* Multo magis rex cælestis suspensus cum latronibus ignominiam detraxit et crucibus et latronibus. Hinc enim factum est ut **imperator** Heraclius summo sibi honori duceret, **eo** crucem ferre suis humeris, quo eam Christus tulerat; et multi reges ac magnates optarent nunc juxta Christum pendere in latronum crucibus.

Tertio, ex voto ipsius Christi. Quia enim descenderat de caelo, peccatores salvos facere, ideoque cum illis vivens ut plurimum versabatur, idcirco voluit cum illis versari etiam moriens, quia pro illis moriebatur. Bini igitur hi latrones, id est, peccatores omnes, pœnitentes et impœnitentes, titulus et causa, sunt mortis Christi verissima. Quis enim Christum in crucem egit, nisi magnus ille latro Adam cum tota sua progenie; possumus ergo dicere Christum hoc in loco non tantum esse Samaritanum illum, sed et hominem illum, qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones et despoliatus ac vulneratus est ab eis. Peccata enim nostra latrones sunt, qui Christum descendentem de caelo ad terram, sploriarunt, vulnerarunt.

II. *Unum a dextris et unum a sinistris, medium autem Jesum.* Primo, ex mente Judæorum ut latronum princeps et antesignanus haberetur. Hunc locum tribuit mundus suo benefactori et Patri patriæ.

Secundo, ex mente Spiritus sancti, quia crux Christi omnium martyrum cruces superat, ideo tamquam reginæ medius ei locus debebatur.

Nam *passio Domini æmulos habet, pares non habet*, inquit S. Ambrosius, in Lucam, l. X. c. XXIX. Nemo enim tantæ dignitatis homo, nemo tanto amore et fortitudine, nemo pro tali causa, nemo in tanta innocentia unquam passus est vel patietur. Patiuntur alii pro mundo ut latro malus, alii pro Deo ut latro bonus, Christus Deus passus est pro hominibus.

III. Quia Christo mediatori medius locus deoetur. Primo, quia ibi proprie est lapis angularis, jungens duos parietes, id est, populum Hebræum et gentilem, et faciens utraque unum. Impletum est, quod in figura gestum est, Num. XIII. Cum exploratores botrum una cum suo palmite absciderunt in terra promissionis, quem duo viri in vecte gestabant, unus præcedens, alter sequens. Botrus Christum denotat juxta id Cant. I. *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Vectis crucem. « Hanc uvam duo deferunt (inquit S. August. serm. C. de temp.) inserto vecte pendentem. Possunt isti duo etiam christianum vel Judaicum populum figurare. Isti ergo sunt duo, id est, synagogæ vel Ecclesiæ populi. Et quia prior fuit Judæorum, populus præcedit Judæus, sequitur christianus. Salutem suam hic ante conspectum suum gerit, ille post dorsum. Hic obsequium præfert, ille contemptum, etc. » Malus latro Judaicum populum notat, qui dorsum Christo vertit et blasphematur. Bonus vero gentilem, qui ad Christum se convertens, orat et confitetur eundem. Hic Christum videt, agnoscit et adoratur, ille videre renuit et execratur.

Secundo, ibi stat ut Salvator; omnibus ex æquo, si modo ipsi voluerint, offerens salutem suam, quod et facto ipso ostendit, dum volenti et pœnitenti latroni salutem impendit, nolenti vero et impœnitenti alteri non impendit. Interim tamen eam omnibus offert et dat gratiam sufficientem ut salvari possint, si velint. Neque enim minora exhibuit beneficia Judæ proditori, quam cæteris discipulis.

Tertio, ibi stat ut doctor totius generis humani, seu ut concionator in medio Ecclesiæ tradens nobis septem verbis, totidem antidota contra septem vitia capitalia (ut alibi explicavimus) imo compendium doctrinæ christianæ et virtutum omnium, charitatem, patientiam, contemptum mundi, paupertatem, obedientiam, humilitatem, pietatem in Deum et parentes, constantiam, dilectionem inimicorum, silentium, orationem, peccatorum fugam et odium; partim verbis, partim exemplis; docuit omnem sapientiam omnemque vitæ perfectionem. Quare de Christo merito intelligimus, quod de Davide scriptum legimus II. Reg. XXIII. *David sedens in*
II. PARS HIEMALIS.

cathedra, sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus. Christus enim in cathedra crucis sedens inter tres crucifixos unus, princeps sapientissimus, et licet vilis et exilis sit aspectu et mortalis secundum carnem instar tamen vermiculi fortissimo divinitatis suæ ore crucem quasi corrosit, dum eam ex gravi levem fecit, ex contempta gloriosam, ex odiosa amabilem; et dum verbis suis concussit hominum corda, imo cælum et terram.

Quarto, ibi cernitur ut judex futuri judicii specimen aliquod exhibens, dum latronem pœnitentem assumit ad paradysum, alterum vero insultantem et impœnitentem relinquit, illum habens a dextra, hunc vero a sinistra. Unde Augustinus, tract. XXXI. in Joan. X. ait: « Ipsa crux tribunal fuit. In medio enim judice constituto, unus latro, qui credidit, liberatus; alius qui insultavit damnatus est. Jam significabat quid facturus est de vivis et mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram, etc. » Cujus rei figura fuit Joseph in carcere constitutus inter pincernam et pistorem Pharaonis, quorum huic suspendium, illi vero restitutionem in pristinam dignitatem prævidit ac prædixit, Genesis, XL. Ita enim Christus latroni uni paradysum prædixit et promisit; alteri infernum reliquit. Idemque fit in fine mundi et extremo judicio. *Tunc duo erunt in agro*, ait Dominus, Matth. XXIV. *unus assumetur et unus relinquetur.* Et Matth. XXV. *Separabit eos ad invicem sicut pastor segregat oves ab hædis et statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris.* Docet vero et hoc Dominus, quos numeret inter oves et quibus paradysum donet; illis videlicet, qui cum latrone dextro recte se habent erga Deum, seipsum, proximum. Latro ille Christo dedit gloriam, contestans ejus innocentiam et regiam potestatem in altero sæculo; sibi confusionem, dum se factis digna recipere fatetur; proximo charitatem, dum redarguit errantem et reducere ad viam satagit. Iste proinde audivit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Nos ergo si inter oves Christi a dextris stare volumus, sequamur hunc latronem.

§ XXXI. — CHRISTUS IN CRUCE SUBSANNATUR.

I. Sedentes servant eum. — II. Populus stat spectans. — III. Derident eum. Et cur? 1. Instinctu dæmonis. 2. Principum impulsu. 3. Ex ignorantia: et cur tanta probra passus?

THEMA.

Stabat populus spectans et deridebant eum principes cum eis. Luc. XXIII.

Sacra Christi passio quædam recapitulatio est